

# POLONIAE

## REGNUM.

**P**OLONIA vasta Regio est, quæ Schlesiæ ad Occidentem proximat. Hungaris, Lituanis, ac Prutenis contermina. Diuiditur in Maiorem & Minorem. Maior dicitur, quæ Septentrionem aspicit, habetque Guesnam, Posnauiamque, insigniora loca. Minorem vocant, quæ ad Meridiem vergit, habetque nobilem Urbem Cracouiam, ad caput Vistulæ, quæ Regionem diuidit, sitam; reliquæ Ciuitates parum nitidæ. Ex maceria domos ferme omnes componunt, plerasque luto linunt. Plaga Regionis palustris est, & nemorosa. Potus genti cereuisia. Vini rarissimus vsus; nec vineæ cultura cognita. Ager cereris ferax; multa genti armenta; multa ferarum venatio. Melle abundat. Habet & Salis maximam copiam, quod ex terra eruitur. Habet & æris fodinas in montium iugis, Tatri ab incolis dictis: nec non sulfuris. Sub Regno Poloniæ continetur Lituania, Samogitia, & Masouia, quæ Munsterus his verbis describit. **LITHVANIA** magna sui parte palustris, plurimumque nemorosa, & eò difficilis aditu, ac quodammodo inaccessa, aquis omnia obtinentibus; Hyeme commercia cum Lituanis habiliora: paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueque superinfusa, fiunt omnia mercatoribus peruisa. Rara in Lithuauania Oppida; Villarum incolatus infrequens. Accolarum diuitiæ pecora, pellesque preciosæ multigenum ferarum, quibus Regio insigniter scatet. Ceris ac mellis abundans. Vsus pecuniæ genti nullus. Sermo genti vt Polonis, Sclauonicus. Caput Regionis Vilna est, Episcopalis Ciuitas, tantæ magnitudinis quantæ Cracouia. Domus tamen contiguæ in ea non sunt, sed veluti in rure, horti intermediant & pomaria. **SAMOGITIA** habet gentes proceræ & pulchræ staturæ, agrestes tamen & incultis moribus, parco victu viuentes. Nullus illic ædificiorum Nobilium, sed tantummodo tugurij vsus. Ex ligno & culmo fit structura. Largius ab imo sensim operis incremento ædificium in arctius cogitur, in carinæ seu galeæ maximæ similitudinem elaborata. In cacumine fenestra vna, supernè lumen reddens, subter quam focus, cibos parabiles coquens. In ea domo, se, vxores, pignora, seruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem suppellectilem condunt.

**MASOVIA** Regibus Poloniæ feudalibus, huius Metropolis est Varsovia, vbi optimus conficitur medo, potus genus est ex melle constans. &c. Plura habes de his Regionibus apud Mathiam à Michou, in libello de Sarmatiis; Alb. Crantzium in descriptione Wandaliæ; Bonfinium de rebus Hungaricis. Sed omnium optimè eas descripsit Martinus Cromerus; & Sigismundus ab Herberstain in suis Moschouiticis Commentariis.





Scala miliarum Germanicorum.  
5. 10. 15. 20. 25. 30.

POLONIAE  
finitimarumque  
locorum descrip-  
tio. Auctore  
WENCESLAO  
GODRECCIO  
Polono.

SEPTENTRIO  
LIVONIA  
MAGNUS  
DUCATUS  
LITVANIA  
PRUSSIA  
SILESIAE  
PARS.  
POLONIAE  
MOLDAVIA  
VIAE  
PARS.  
MERIDIES.  
BALTICVM MARE  
Venedicus sinus  
SAROGITIA  
LIVONIA  
MAGNUS  
DUCATUS  
LITVANIA  
PRUSSIA  
SILESIAE  
PARS.  
POLONIAE  
MOLDAVIA  
VIAE  
PARS.  
MERIDIES.



